Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

cum impiis vocibus clamaverunt non quidem per se ipsos eum sed tamen per illum
qui eorum clamore ad hoc nefas inpulsus est occiderunt.
Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus. Cum coti
die vobiscum fuerim in templo non extendistis manus
in me. Sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum.
H. C. Stultum est inquit eum cum gladiis et fustibus quaerere qui ultro se vestris tradat manibus; et in
nocte quasi latitantem et vestros oculos declinantem per proditorem investigare qui
cotidiae in templo doceat. Sed ideo adversum me in tenebris congregamini quia
l ccxc / 1 / mt cccvi / mr clxxxvii / ioh clxii
potestas vestra qua contra lucem mundi armamini in tenebris est.
Conprehendentes autem eum duxerunt ad domum principis sacerdotum.
Principem sacerdotum Caiphan significat qui erat pontifex anni illius. sicut Iohannes euan
l ccxcii / 1 / mt cccxiii / mr cxcv / ioh clxviii
gelista testatur. Petrus vero sequebatur a longe.
Merito a longe sequebatur qui iam proximus erat negaturo. Neque enim negare
posset si Christo proximus adhesisset. Verum hoc maxima nobis est admiratione ve
nerandus quod dominum non reliquit etiam cum timeret. Quod enim timet naturae est. Quod sequitur
A. devotionis quod negat obreptionis. Quod penitet fidei. Aliter quod ad passionem eun
dem dominum a longe sequitur Petrus significabat ecclesiam secuturam quidem hoc est imi
taturam passionem domini sed a longe differentur ecclesia enim pro se patitur at ille pro ecclesia.
Accenso autem igni in medio atrio et circumseden
tibus illis erat Petrus in medio eorum.
Est dilectionis ignis est et cupiditatis de hoc dicitur. Ignem veni mittere in terram et quid
volo nisi ut ardeat de illo. Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis.
Ambulate in lumine ignis vestri et in flammis quas succendistis. Iste super credentes in
cenaculo Sion de caelo descendens variis linguis dominum laudare docuit. ille terrena ma
teriae Caiphe focus in atrio flammis negandi dominum turbas accendit. Hoc mores se aurum
idoli apud illo Sedechias Hieremiae prophetae et antis scripta consumpsit. quicumque vitio
sum noxiumque in se extinguit incendium potest domino cantare. Quia factus sum sicut uter in
pruina iustificationes tuas non sum oblitus. At qui flammam vi sui tutum perdidit audit a domino
quoniam abundavit iniquitas refrigescit caritas multorum. Quo frigore torpens ad horam
apostolus Petrus persecutorum prunis calefieri cupiebat quia temporalis commodi solacium
perfidorum societate quaerebat. Sed non mora respectus a domino cum igne eorum corpore
cum infidelitatem corde reliquit.
Quem cum vidisset ancilla quaedam sedentem ad lumen et
eum fuisset intuita dixit. Et hic cum illo erat.
Quid sibi vult quod prima eum prodit ancilla cum viri utique magis eum potuerint